

## † R. P. Theodorus Kethers (1877-1931)

(Prov. Germ. Inf.)

Iusto tardius huius eminentis sodalis vita commentario nostro inseritur; at satius est sero id fieri quam nunquam omnino.

Oppidum *Kempen* ad Rhenum inferiorem situm in universo mundo notum est inde, quod unus e summis vitae spiritualis magistris (si tamen est auctor operis *De Imitatione Christi*), Thomas Hemerken, vulgo *Thomas a Kempis*, ibi a. 1379 vel 1380 natus est. Idem municipium dedit ortum R. P. *Ioanni Ev. Spoos* (1838-1921), qui per multos annos Provinciam Germaniae Inferioris sapienter gubernavit et duobus Capitulis generalibus (1894 et 1909) interfuit.

Ibidem kal. Febr. 1877 Antonius Theodorus Kethers hanc vitam terrestrem ingressus est, et quidem in « via corvi », quod tamen minime impedivit quominus Theodorus noster per totam vitam voce gauderet mire sonora cantusque esset amantissimus. Verum aliis quoque egregiis dotibus a Creatore suo ornatus erat, toto studiorum curriculo discipulorum vel primus vel saltem inter primores. Praesertim ei memoria erat fere prodigiosa, ita ut non modo sermones suos facili negotio ad verbum recitare posset, prout eos signis stenographicis Gabelsbergianis scripserat, sed etiam singulis fere diebus recordaretur, eodem die ante tot annos hanc deambulationem factam, ante tot annos hunc cibum appositum esse etc.

Puerum Mater de Perpetuo Succursu ad Congregationem nostram adduxit; nam quo die Theodorus annum XIV complebat (1 Febr. 1891), Kempis imago Deiparae iugiter opiferae inaugurata est per eximium illum missionarium P. Gerardum Schepers (1837-1892)<sup>1</sup>; qui Redemptorista hac



<sup>1</sup>, Cfr. de eo *Kurze Lebensbilder...* I, 216-223. Placet hic notare in morte Patris Schepers, quae Valsii d. 14 Ian. 1892 accidit, simile quid factum esse atque in morte Patris Kethers; etenim etiam in delirio non negabat missionarium et identidem dictione pulcherrima oratiunculas habebat, velut de Virgine Immaculata, statu religioso, passionibus domandis...

occasione Theodorum, inter reliquos ministrantes pietate atque intelligentia eminentem, ad iuvenatum nostrum allexit. Per totam vitam P. Kethers peculiarem devotionem erga hanc Iconem sacrosanctam servavit et laetabatur quod completis a restituto cultu quinquaginta annis eius laudes in variis ecclesiis per triduum praedicare potuit.

Immorari hic non possumus in describendis annis formationis, quos Vaalsii dedit iuvenista (1891–1897), Epternaci novitus (prof. 14 Sept. 1898), Augustae Trevirorum clericus studens (1898–1903). In huius civitatis ecclesia cathedrali d. 7 Sept. 1903 a cl. Episcopo Michaele Felice Korum sacerdos ordinatus est. Quod tune sibi proposuit: se omne Sacrum eadem, immo vel maiore devotione litaturum esse ac primum, postea semper fideliter exsequi studuit, ita ut in Missa celebranda omnibus esset aedificationi. Ultimum theologiae annum in nova domo studentatus Geistingen transegit, ibidem etiam peragens statim postea secundum novitiatum.

Deinceps adscriptus est domui Bochum, ob vastam operam apostolicam et domi et foris celeberrimae, et iuvenis Pater mox in sacro suggestu successus haud communes obtinuit. Quamvis enim bonus populus civitatis regionisque circumiacentis magni faciat verbum Dei a quocumque sacerdote praedicatum, id tamen non impediebat quominus multitudines maiore attentione crescentique admiratione auscultarent hunc iuvenem P. Redemptoristam staturae altae, tam pulchra fortique voce ac tanta facundia praeditum, cuius sermones singularem divinarum humanarumque rerum peritiam manifestabant; et videntes eum simul adeo affabilem ac benignum, libenter etiam in confessionali eum adibant.

Eloquentiae eius erat proprium non modo in vitia invehere, sed abunde etiam theologia dogmatica uti. Hoc modo et simplici populo et hominibus magis cultis satisfaciebat. Quidam sacerdos, qui multoties exercitiis in Seminario dioecesis suae interfuerat, audito semel P. Kethers sine haesitatione huic palmam tribuit.

Raro accidere opinamus ut quis nostrum quatuor primis post absoluta studia annis (uti P. Kethers annis 1905–1909) 46 missiones aut renovationes praedicarit, 5 cursus exercitorum (inter quos etiam a. 1909 exercitia ad studentes universitarios Bonnenses sacerdotii candidatos), 4 tridua et amplius 170 sermones particulares, atque haec quidem omnia cum plausu universalis.

Huic initio splendenti reliqui 22 anni vitae sacerdotalis haud dissimiles fuere. Confrater defunctus per biennium (1909–1911) in Aquisgranensis collegii vinea strenue laboravit, per septennium insequens Luxemburgi, et quidem annis 1911–1915 qua director S. Familiae, tempore belli qua capellanus militum Germanorum in magno ducatu consistentium. Hoc tempore etiam magnae duci Mariae Adelheidi, quae interim in sanctitatis odore mortua est, a confessionibus fuit.

Eius opera missionalis ad summum finito bello succrevit, quando renuntiatus est per duo triennia Rector domus Trevirensis et undique sacrum

nostrum ministerium efflagitabatur. Laborem oblatum cum P. Rector Kethers recusare nequiret, factum est ut illo sexennio habuerit 10 missiones 10 dierum, 11 missiones 15 dierum, 14 renovationes, 8 cursus exercitiorum publicorum (partim 15 dierum), 3 octavaria, 10 tridua, semel contiones quadragesimales in ecclesia cathedrali Trevirensi, 5 cursus exercitiorum ad sacerdotes, 25 cursus ad religiosos aut religiosas, 16 cursus ad laicos. Huc accedebant sollicitudo pro ecclesia nostra Trevirensi multum frequentata et pro comunitate sat numerosa illo tempore difficillimo « occupationis » et « inflationis », sollicitudo ad reficienda damna collegii materialia aliaque onera.

At illis annis nimii laboris etiam germen morbi diabetici in corpus eius antea robustum intravit; verumtamen hic apostolus animarum zelo flagrans inde minime retineri potuit quin operam sine remissione ac quiete continuaret, donec — eheu praemature — succumberet.

Trevirensem rectoratum excepit rectoratus Aquisgranensis, et hunc vitae quadriennium ultimum, quo fuit simplex subditus sine ulla dignitate, primum Bonnae, dein Luxemburgi, nunquam otiosus, sed semper actuosus. Admiremur necesse est hunc bonum Christi militem, qui diabete forti laborans (initio usque ad 6 %), non recusabat Dominica h. 10 Missam cantare et intra Missam contionari et bis per horam post meridiem, qui Bonnae residens habuit uno anno 7 missiones 15 dierum, 12 cursus exercitiorum, 4 octavas, 5 quintidua, unum triduum, et ultimo biennio Luxemburgensi 28 missiones, 9 alias labores similes, 30 cursus exercitiorum, quorum 16 coram sacerdotibus aut seminaristis. Parocho cuidam ad « otium cum dignitate » adhortanti respondit: « Scio me brevi moriturum; verum ad Dei gloriam volo operari donec concidam ». Superiori autem suo humiliter confessus est: « Ad peccata mea expianda laborare pergo ».

Quae cum ita sint, † Exm̄us D. Nicolaus Bares, tunc Episcopus Hildeshiensis, postea Berolinensis, mortuo confratre nostro scripsit: « Quidam dixit: *Il faut que le prêtre se tue ou se damne.* Revera bonus P. Kethers indefesso suo labore ipse sese interemit ».

Quemadmodum arbores altiores facilius fulmine tanguntur, ita etiam Deus Patrem Kethers, tot eximiis donis praeditum, tanto cleri populi favore fruentem, multifariam in vita humiliatum voluit. Qua occasione confratris solida virtus vel magis apparebat; nil aliud enim faciebat nisi tacere et orare.

Etiam illud ad posteritatis notitiam transmittatur, quod in eius laudem parochus loci Bonn-Rheindorf, apud quem defunctus ultimam suam missionem (8-22 Nov. 1931) habuit, postea declaravit: « Iam multos contionatores egregios domi meae vidi, sed nemo tantam mihi attulit aedificationem quantam P. Kethers. Alii magni oratores interdum in domo parrochi ea quae in pulpito ecclesiae aedificabant demoliebantur; P. Kethers

autem domi adeo modestus erat, ut ne desiderium quidem ullum quoad diaetam sibi praescriptam manifestare vellet ».

Pretiosa simulque dramatica fuit mors huius actuosi missionarii. Redux ex illa missione nullam requiem habere voluit. Praedicavit igitur in Carmelo Luxemburgensi statim de S. Ioanne a Cruce et in variis aliis urbis conventibus de aliis argumentis. Dom. I Adventus in nostra ecclesia solita sua eloquentia ad populum dixit. At cum in eius cervice carbunculus quidam apparere coepisset, P. Rectoris voluntati obsequens post hanc contionem addiit medicum fortuito domi nostrae praesentem. Qui cum transitum clientis ad nosocomium postulasset, P. Kethers eodem vespere illuc pedes se contulit. Ibi ulcus sese aperiens finem hand ita remotum esse ostendit.

Ipse quidem d. 2 Dec. suo P. Provinciali scripsit latino sermone (quem inde a iuvenatu optime callebat): « Optima utor cura et iam aliquantulum melius me habeo et spero fore mox ut reconvalescam », attamen iam post biduum sacramentorum ultimorum administratio ei proponenda fuit. Illico paratum sese ait neque aliud se velle nisi voluntatem Dei exequi. Sacra-menta recepit summa pietate, renovans in fine sua Redemptoristae vota dicensque Superiori suo se omnium confratrum veniam petere, ipsum vero se ex animo illata cuncta ignoscere. Finita hac sacra caeremonia animi tranquillitate admirabili dictavit nomina eorum, quibus proxima sua mors esset annuntianda.

Pulsaverat quidem fortiter Dominus, sed nondum venit vocaturus servum suum fidelem nisi d. 12 Decembris. Erat sabbatum infra octavam Immaculatae Conceptionis, de quo mysterio ante 27 annos, in aureo iubilao dogmatis anni 1854, P. Kethers primam ex tot pulcherimis suis contionibus habuerat. Est hora matutina quarta. Moribundus iacet in lecto oculis clausis. Extemplo incipit clara fortique voce cantare. Et quid cantat? Canticum illud grati animi *Magnificat*. Deinde recitat triplicem illam ad Iesum, Mariam, Ioseph invocationem, quam toties una cum sodalibus S. Familiae recitaverat. Tum perspicue recitat integrum contionem ultimam: quomodo nos ad Christi adventum praeparare debeamus. Exinde tacet, solo signo interroganti respondebat se denuo Viatricum desiderare, cui desiderio satisfit. Postea iacet sensibus destitutus et hora fere eadem, qua SS. Redemptor tradidit spiritum, hic genuinus Redemptorista sine agonia efflat animam.

Quantum amoris ac venerationis defunetus Luxemburgi sibi conciliasset, post obitum apparuit. Missae exsequiali Episcopus loci, eius Vicarius Generalis, fere totum Capitulum, Seminarii professores ac permulti sacerdotes adstiterunt. Corpore in caemeterio publico terrae mandato, cum iuxta regionis morem singuli apertum sepulchrum aqua lustrali spargebant, haec devota caeremonia per horam integrum cum dimidia perdurabat; adeo multi funus sua praesentia suisque lacrimis et precibus honorare voluere!

Undique epistolae consolatoriae affluebant, etiam a quatuor Episcopis,  
quae epistolae simul sumptae per pulchram defuncti laudationem efforma-  
rent. Sepulchrum autem caemeterii Luxemburgensis multiplices grati animi  
significationes postea vidit. R. I. P.<sup>1</sup>.

---